



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

I. Scholia in Constitutionem Concilii Lateranensis. II. Conservatorias
Ecclesiasticas quaest. 130. III. Conservatorum Laicorum materiam,
Tribunali viginti duûm virum Leod. adoptatam comprehendens

**Chokier, Érasme de
Coloniae Agr., 1684**

§. Octavus. Summarium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61908)

CXXI. A sententia super primo decreto, Nicell. num. 118. fallentia 83.
Hi sunt casus quos obiter ex Antonio Nicello jurisconsulto Placentino collegi, & digito tantum demonstravi, Lector pro re nata qualiter is quemque casum extenderit vel restinxerit variisque rationibus firmaverit ex eo tanquam ex fonte haurire poterit.

(127) *Remittendam.* De remissione autem criminosa ad locum commissi criminis consuetudo est juri contraria, uti refert Andreas Gaill. de pace publica lib. 1. cap. 16. num. 30. & seqq. Solent tamen inquiri idera *num.* 31. Magistratus vicini juris quodam amicitiae vicinitatisque criminosos sibi invicem remittere sub antigrapho, hoc est attestacione scripto redacta, quod ejusmodi remissio jurisdictioni remittentis praesidio futura non sit, id quod si inter laicos magistratus observatur, longe magis inter Ecclesiasticos deberet observari, qui uni Principi, hoc est uni Pontifici subiecti sunt, *ca. cuncta per mundum 9. quest. 3.* Quid sit remissio, quae in ea consideranda sint, in quibus casibus sit facienda, qualiter fieri debeat. Quod sit officium ejus ad quem fit remissio, denique de remissione quae fit à iudice superiore ad inferiorem late tractat Speculator *sic. de remissionibus.*

S. OCTAVUS.

SUMMARIUM.

- | | |
|----------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------|
| 1. Notarii unde dicti. | 5. Pontificum defunctorum debet esse memoria laudabilis, etiamsi illudate vixisset. |
| 2. Notarii S. Sedis qui dicuntur & an sint in dignitate. | 6. Habens non facit Monachum. |
| 3. Officium qualiter surpetur & differat à dignitate. | 7. Sedis appellatione quid significetur. |
| 4. Primitiva Ecclesiae fervor. | |

(126) **N**otarii (127) autem (128) dictae Sedis (129) quorum officium (130) in ipsis primitivae Ecclesiae initiis (131) & felicitis record. (132) Clem. Papa, (133) ad sanctorum gesta perquirenda atque contribuenda noscitur institutum (134) ad prethonotariatus officium assumpti (135) habitum & Rocherum deferentes (136) & alii nostrae & dictae sedis (137) officiales (138) actu sua officia exercentes (139) tam in civilibus quam in criminalibus (140) ab omni ordinariorum jurisdictione (141) sint exempti.

SCHO-

SCHOLIUM.

(126) **N**otarij. Notarii inde dicti sunt, quod notis quibusdam velocissime di-
 ctantium verba excipiant. *Jacob Spiegelus in lexico juris verb. notarii.*
 Quales exceptores tam olim Romæ, quam hodie adhuc esse in Parisiensi Parlamen-
 to, qui miranda quadam solertia omnia propemodum dicta advocatorum judicium-
 que excipiunt refert Guilielmus Budeus, in annot. ad pandectas l. abesse cum l. seqq. ff.
 ex quibus causis majores. Hinc notis scribere, notis excipere dixit tranquillus de Tito
 Principe Romano & de Cæsare & etiam Plutarchus in Catone. Inde traductum
 ut Actuarii qui acta publica conscribunt notarii vocitentur, ut & ii quibus publica
 cura stipulationum, contractuum, instrumentorum conscribendorum publicè est
 demandata. *Spiegel. ubi supra.*

(127) **A**ntem. Dictionem, autem, quandoque esse copulativam, testatur Al-
 bertus de Pergamo de prepositionibus num. 110 quandoque etiam conjunctionem ad-
 versativam. l. ff. si mulier ventris nomine. Hoc sensu videtur, hoc loci usurpanda,
 Pontifex enim novam hic exorditur dispositionem.

(128) **D**icta Sedis. Ii sunt quires ad sanctam Sedem pertinentes describunt,
 & in publica perpetuaque munimenta redigunt, quos in publica esse dignitate ut &
 Principum notarios nemo est qui ambigat. l. i. ubi gloss. & DD. C. de mandatis prin-
 cip. *Spiegelus ubi supra verb. notarii Principis, qua de re vide infra Scholio 134.*

(129) **Q**uorum officium. Officii nomen quandoque sumitur largè, quando-
 que strictè, quandoque propriè, quandoque in propriè, uti late ostendit & diversis
 juris textibus explicat Joannes P. ancisci de Pavinis Rotæ auditor. tract. de officio &
 potestate capituli sede vacante præludio 2. per tot. vol. Occ. 15. fol. 166. Differt officium à
 dignitate, quod illud dicatur esse seu habere onus annexum sive prærogativam ho-
 noris. E contra vero dignitas est quæ habet jurisdictionem cum administratione
 vel honore qua de re Beatus Antonius Archiepiscopus Florentinus. *Tract. de excom-
 municat. cap. 72. num. 4. & seqq. vol. Occ. 16. & Pantius de nullitat. ut. de nullitat. ex de-
 fect. juris d. deleg. num. 70.* Itaque non bene Petrus de Ungola in præf. art. notaria-
 tus in pr. num. 13. Definit Officium notarii esse dignitatem & auctoritatem ad legiti-
 morum negotiorum hominum notam de publico introductam. Notarius enim dig-
 nitatem habere non dicitur, sed officium. *Franc. cap. ut officium §. ad conscribenda de
 hereticis in 6.*

(130) **I**n ipse primitiva Ecclesia imitio. Cum aurei Sacerdotes litabant in calici-
 bus æneis inquit quidam. Et Tibullius.

Tunc melius coluere fidem cum paupere cultu.

Sta.

Scabui in exigua ligneus ede Deus.

Hinc factum est, inquit D. Hieronymus ad Rusticum Episcopum Narbonensem in can. Diaconi §. *nunc autem dist. 93.* Quod excrecente in Ecclesia, sicut in Romano imperio, avaritia, perierit lex de Sacerdote, & visio de Propheta. Sed quid? M. Crassus aurum siviit, aurum bibit, auro petiit, inquit, D. Augustinus, ca. *quod quidam dicitur §. ex his verbis r. quast. 1.* Legitur enim Marcus Crassus auri sitiens à Parthis peritacione auri feruentis liquidi que interfectus. *gloss. in d. §. ex his verbis;*

Ut merito Propertius Poeta lib. 3. exclam.

At nunc desertis cessant sacraria lucis

Aurum omnes vilita jam pietate colunt.

Auro pulsa fides, auro venalia iura

Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

Idem Propert. lib. 3. eleg.

Perloquar atque utinam patria sim vrus aruspex:

Frangitur ipsa sibi Roma superba bonis.

Defectus itaque hujus temporis, quo non solum merita, sed etiam corpora defecerunt, alia jura exposcit, inquit Papa Pelagius in ca. *fraternitate dist. 34.*

(131) *A felicit Recordationis.* Cum de Pontifice defuncto in litteris, diplomatis aut receptis fit mentio. Honorari solet hoc encomio. Felicit recordationis, venerabilis, Laudabilis recordationis, bonæ memoriæ. *l. Quoniam C. de Epif. & cler. Resbaurus Castaldus tract. de imperatore quasi. 59. late gloss. extrav. dudum in verb. bona memoria de schismaticis.* Idque etiam inquit ibidem glossa, illa dabiliter vitam suam traduxisset, quia non quid fecerit, sed quid facere debuerit, inspiciendum est. *gloss. d. vers. bona memoria.*

(132) *Clemente I. Qui sub Trajano imperatore anno Domini 102. martyrio affecit. st.*

(133) *Ad sanctorum gesta perquirenda atque conscribenda noscitur institutum.* Uti legitur in vita Clementis Papæ & Fabiani. Et vide etiam hac de re Lucam de Penina in rubr. *de magistris scriptorum lib. 12.*

(134) *Ad prothonotariatus officium assumpti.* Notarii illi S. Sedis ad altiorem e-
vecti dignitatis gradum nuncupati sunt prothonotarij, id est, primi, & velut aliorum
notariorum Princeps, quos à jurisdictione ordinariorum exemptos esse latius scripsi-
mus *tractatu de exempto à jurisd. ord. lib. 1. quast. 18.* Sacra tamen Concilii Trident.
Constitutio *sess. 24. cap. 11. de reform.* vult dictos prothonotarios jurisdictioni ordi-
nariorum subiectos velut S. Sedis delegatos, ut latius habetur in dicta Constitutione.
& vide supra *Scholio 126. & seqq.*

(135) *Habuum & Rochetum deferentes.* Licet habitus Monachum non fa-
ciat. *cap. porrectum de Regul. cap. ex parte. Qui clerici vel Monachi.* Statuit tamen

Leo Papa; hac sua constitutione, ne ii gaudeant hac Exemptione, nisi habitum prothonotariatus gestent, quod à juris æquitatisque ratione alienum non esse scripturam. *quest. 18.* Nam cultus concessus atque magnificus, addit hominibus auctoritatem, inquit Quintilianus *lib. instit. 8.* Quam quidem præ se ferre debent ii, qui à Sancta Sede hoc honoris titulo sunt honorati & proinde amicti esse veste, quæ sit conveniens statui, ordini & officio. *cap. Deus qui de vita & honest. Cler. ca. 2. cum ca. seq. 21. quest. 3.* *Spec. de advocato in. quales vestes debeant habere advocati num. 2.* Ideo est. Quod *Spec. d. loco.* consulat advocatis decetem vestitum hinc male compositis vestibus:

Vir bene vestitus pro vestibus esse peritus

Credetur à multis, quamvis idiota sit ille

Si careat veste, nec sit vestitus honeste

Nihilus est laudis, quamvis sciat omne quod audit.

Ratio inquit, quia talis prima facie presumitur, qualem eum judicat vestis. *Spec. ibid.* Hinc adagium Erasmi in *chiladibus.* Vestis virum faciat. & *Ecclesiast. cap. 19. vers. 27.* Amictus hominis & ritus dentium & ingressus hominis enuntiat de illo. Ceterè Gregorius Nazianzenus ex vultu & habitu se scribit deprehendisse latentem in Juliano Imperatore improbitatem, dixeritque ante illius Imperium: O quale malum Romanorum respublica alit. *Jansenius dicto Ecclesiast. cap. 19. vers. 27.*

(136) *Et alii nostra & dicta Sedis.* Sedis appellatio est æquivoca, neque enim tantum de Pontificali Sede, sed & etiam de Cardinalium sede intelligenda est, ut ostensum est supra *Scholio 16.* & fusillime de ethimo & significatione sedis discutit Joannes Francisci de Pavinis *tract. de officio & potest. Capituli Sede vacante. præfatio 6. vol. Occ. 15.*

(137) *Officiales.* Nomen Officialis sumitur quandoque adjectivè, quandoque substantivè. *Spiegelius in Lexico juris verb. Officialis.* Adjectivè tunc sumitur, cum quid significamus quod ad officium pertinet, vel de Officio tractat, substantivè ut hoc in casu cum de ministro magistratus, Principis, Papæ, aut alicujus superioris enuntiat. *Spiegelius ibid.*

(138) *Actu sua officia exorcences.* Id latè probavimus in tractatu de Exemptione à jurisd. ord. *lib. 1. quest. 30.*

(139) *Tam in Civilibus, quam in Criminalibus.* Civilium & Criminalium causarum longè dispar est ratio atque diversitas, uti longè ostendit & probat Paulus Lancelottus *instit. Canon. lib. 4. cap. de accusat. in pr.* Satisque etiam id colligitur ex dictionibus illis tam & quam, quæ diversa & separata solent conjungere.

(140) *Ab omni ordinariorum jurisdictione.* Ordinariorum nomine comprehendendi non tantum Diocesanam, sed etiam quemlibet alium Jurisdictionem quam

quasi Episcopalem habentem, Canone, præscriptione vel privilegio (superius adhuc ostendimus.

(141) *Sine Exempti.* Plenissima itaque & exuberans est hæc Exemptio, quæ antedictas personas eximit à cujuscumque ordinarii Jurisdictione, de qua etiam ante abunde satis à nobis scriptum est. Sed Concilium Tridentinum modificavit ejusmodi Exemptiones, *cap. 11. sess. 24. de reformat.*

§. NONUS.

SUMMARIUM.

- | | |
|-----------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------|
| 1. Dictionis nisi energia. | 5. Quid si actio sit mixta. |
| 2. Constitutio Papalis solet ligare duobus à promulgatione mensibus. | 6. Dictionis duntaxat energia. |
| 3. Quid si de crimine agatur civiliter, an huic constitutioni erit locus. | 7. Ardua causa est excedens 25. Ducatus. |
| 4. Favorabilis est constitutio, quæ exemptos reducit sub Jurisdictione ordinarii. | 8. An fieri possit prorogatio in majori summa. |
| | 9. Ducati valor. |
| | 10. Energia dictionis penitus. |

(141) **A**lii vero notarii (142) habitum prothonotariatus non deferentes (143) nisi illum (144) infra trimestre (145) post præsentium publicationem (146) assumpserint, (147) ac ipsi ac alii in posterum assumendi (148) habitum & Rocherum hujusmodi (149) continuè non gestantes (150) atque alii nostri & dictæ Sedis Officiales (151) Officia sua actu non exercentes (152) tam in criminalibus (153) quam in civilibus ratione causæ (154) summam 25. Ducatorum auri de camera non excedentis (155) dumtaxat (156) eorundem Diœcesanorum & ordinariorum Jurisdictioni subjaçant (157) in Civilibus vero causis summam hujusmodi excedentibus (158) plena gaudeant Exemptione & (159) à dictorum Diœcesanorum & ordinariorum Jurisdictione (160) penitus sunt Exempti.

SCHOLIUM